

D. D.

DISSERTATIO PHYSICA

DE

A È R E,

Cujus

PARTEM PRIOREM,

VENIA AMPLISS. FACULT. PHILOSOPH.

IN REG. ACAD. ABOËNSI,

PUBLICE EXAMINANDAM SISTUNT

AUCTOR

CHRISTIANUS  
CAVANDER

ET

RESPONDENS

MAGNUS JAC. ALOPÆUS,

WIBURGENSIS,

DIE XIII. MARTII ANNI MDCCCLXIII.

L. E. H. A. M. S.

---

ABOÆ,

Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

VIRO Admodum Reverendo atque Praeclarissimo  
**DN. MAG. JOHANNI**  
**DAVIDI**  
**ALOPEEO,**

PASTORI Ecclesiae, quæ DEO in Leppävirta colligitur,  
longe Meritissimo, & Adjacentis Districtus PRÆPOSITO  
Adcuratissimo, Parenti, ut Indulgentissimo, ita pia  
animi veneratione ad cineres uique colendo.

Quando Tua, Parens Indulgentissime, jam ab i-  
psis incunabulis, mihi praestita beneficia, prorsus  
singularia imo innumera, ferpendo; hæsitat animus metis,  
nescitque quem verborum apparatus, ad eadem juste  
praedicanda, inveniat. Tu enim, Parens Dilectissime,  
non solum infantie mece sollicitam egisti curam, verum  
etiam extrema pueritia, rvdimenta & incunabula vir-  
tutis, solida Tua informatione, ifse mihi dedisti. Tu  
denique adolescentem meam etatem, moribus & literis  
instituendam, ingentibus sumtibus imo omnibus rebus  
necessariis, ita curasti & providisti, ne quid mihi ad-  
buc defuerit. Quid dicam de crebris illis consiliis, ad-  
moni-

monitionibus & præceptis saluberrimis, quibus præcep-  
tus in juventute mea, ad pietatem & virtutem expe-  
tendam, me exhortari nunquam intermisisti. Præterea,  
quis omnia illa quam maxime paterni amoris documen-  
ta, quibus memet amplexus es, enumerare valet.

Non quidem ignoro, quid pro his omnibus Tibi  
debeam, sed simul quoque intendo, satis digne hæc o-  
mnia a me nunquam compensari posse. Quum itaque,  
quod Tibi rependam, nihil habeam, præter gratissimam  
& venerabundam mentem; Dissertationem hanc, quam  
pro modulo ingenii defendere conabor, in testimonium  
& tesseram devoti gratissimique animi, benignissimo vul-  
tu interim accipias, humillimus rogo. Quod reliquum  
est, DEUM O. M. precibus semper compellabo ar-  
dentissimis, velit Te, Parens Carissime, ad amos bene  
multos, salvum sospitemque servare, in ecclesie Christi  
emolumentum, nostrumque omnium, quotquot Tui fu-  
mus, solatum & fulcrum! Sic ex intimo corde vovet  
semperque vovebit,

PARENTIS INDULGENTISSIMI,

filius obedientissimus  
MAGNUS JACOB. ALOPÆUS.

VIRO Plurimum Reverendo atque Preclarissimo  
**D. N. ELIÆ PALDANIO,**  
PASTORI Pedestris Legionis Savolaxiæ meritissimo,

ADFINI SVAVISSIMO.

**A**quitati certe convenit naturali, beneficia a Fautoribus & benefactoribus præstata, cum modo occasio ad sit, summa diligentia compensare; deficiente autem occasione, gratum tamen animum erga illos semper servare, quam maxime oportet. *Tua, Aduinis Carissime, mihi præstata beneficia plutima sunt, & benevolentiae amorisque documenta magna, imo majora, quam ut iisdem sufficienter prædicandis, nedum compensandis, parrem me deprehendam.* Ingratus igitur essem, nisi semper, in primis vero hac occasione, dum opus hocce eruditum defendere constitui, observantiam, gratumque animum erga Te. *Aduinis Honoratissime, publice testarer.* De cætero vota, pro omnigena & perenni *Tua Tuorumque felicitate, nunquam non fundans sincera calidissimaque!* Quoad vixero permanensurus,

ADFINIS SVAVISSIMI,

cultor observantissimus

MAGNUS JACOB, ALOPÆUS.



## PRÆFATIO.



Eam esse intellectus finiti indolem & naturam, ut non omnia simul cognoscat, veritas est, partim experientia, fida illa rerum magistra, cuivis notissima, partim quoque ex notione finitudinis, extra omnem dubitationem posita. Neque minori gaudet certitudine, eam, quantulacunque sit, quam mortales, operationis & experientiae, possident cognitionem, si paucissima excipias, talem esse, ut semper, intensive & extensive, incrementa capere & possit & debeat; adeoque imperfectam nunquam non manere. Hinc summo dudum jure sapientissimus habitus est, qui optime defectus, quibus nostra laborat cognitione, perspicit; idque eo magis, cum, ut in tritis habetur proverbiis, *nemo sciat, quantum nescit: maximumque eorum quæ scimus, sit minimum eorum, quæ ignoramus*. Quicquid sit, omnis ævi Historia Literaria & experientia abunde testatur, rerum etiam earum cognitionem, quas quotidie sensibus usurpamus, lento admodum gradu, mortales adquisivisse

A

pau-

paulo accuratiorem. Ne quid dicam de illis, quæ aut plurimorum sensuum aciem elidunt, aut non nisi multis factis periculis, copioso & sumtuoso adhibito adparatu, naturam viresque suas latentes prodere alliciuntur atque coguntur. Quis, in his vel mediocriter versatus, nescit, quam misere, diu satis, circa rerum naturalium cognitionem hallucinati sint gentium barbararum, Græcorum, Romanorumque naturæ mystæ? Quis Scholasticorum, Doctorum quamvis mirabilium angelicorumque &c. ignorat, hoc etiam in studiorum genere, non minus stultitiam quam inscitiam? Recentiorum demum Philosophorum, experientiam & rationem rite consulentium, Mathesinque, quantum unquam fieri legitime potuit, huc adlicantum, ea fuit felicitas, ut rerum materialium cognitioni, scientiæ induerent formam; dum loco fictionum, inanumque & abstractarum metaphysicarum quæstionum, varia corporum phænomena singularesque proprietates accurate observarunt atque indagarunt, & ex iis inter se collatis, corporum vires, generales & communes affectiones, modumque operandi constanter, seu leges naturæ, a sapientissimo Creatore stabilitas, eruerunt; ut & vicissim, ex fausto siderे detectis legibus naturæ physico-mechanicis, alios haud paucos admirandos casus, eventus atque effectus corporum feliciter explicarunt, excusserunt. Adeo ut si jam eas quas, Physici superioris in primis & hujus seculi, partim casu, partim indefesso labore & industria nunquam satis laudanda, sufful-

ti Mæcenatum favore, & instrumentorum necessariorum copia instructi, detexere veritates, ab illis, quæ antea innotuerunt, distinxeris, lucem profecto inter & tenebras vix majorem deprehendes differentiam, quam hic. Ast nihilo minus jure adhuc illud HEINSI<sup>J</sup> *Symbolum* ingeminamus: *o quantum est, quod necimus* (a)! Non licet nobis nunc, exemplorum in utramque partem inductione, hoc multis confirmare, igitur unico solum hac vice dicitis fidem faciamus. Prodeat ergo fluidum illud, quo semper circumdamur, in quo omnes vivimus, & sine quo, multo minus quam cibo, ne vivere quidem possemus, aëra loquor, de quo, utut summe necessario, maxime communi, & quovis momento præsente, monstrosas tamen satis, multi moverunt sententias. Et quamvis indefessi recentiores naturæ scrutatores, Chemici, Physici, Medici, Mathematici, postquam, seculo in primis præcedenti, experimenta instituere didicerunt, indeolem ejus illius quam antea expisciati sint, atque intra seculi circiter spatium, infinitis fere observationibus & experimentis, naturam, proprietates, viresque illius inspicere atque aperire allaboraverint, plurimaque omnino circa illum detexerint, & detecta variis usibus aptare tentaverint, multa tamen adhuc latent, forte a posteris detegenda. Est enim ea humanæ

(a) Legi hac de re in primis merentur profund. meditaciones Celeb. Dn. D. & Prof. J. GADOLIN, in Ejus Tal, Om Gränforne imellan det vi uti Naturen känne, och det vi ännu icke hunnit fatta.

mentis angustia & indoles, ut, in rebus etiam maxime obviis, simulque utilissimis & summe necessariis, cæcutiat, idque ut plurimum sæpius quam in aliis.

Dum in præsentiarum, Specimen aliquod in Scientia Naturali, publicæ luci dare, in animum induxi, simulque in memoriam revocavi hoc PLINII (*b*): *cogito quam sit magnum, dare aliquid in manus hominum*; mentem quidem erexit illud CICERONIS (*c*): *quo difficilius, hoc præclarior*; sed nihilo minus animalium aliquantisper detinuit suspensum, qua præcipue de re differendo, qualemcumque scientiæ hujus nobilissimæ proderem peritiam. Verum cogitans, an memet decipiens, non hujus præcise esse instituti, nec ei, quam variæ circumstantiæ non tam svadent quam imponunt, festinationi, qua in præsenti urgeor, conveniens, novas aliquas veritates detegere, aut detectas novis & antea non institutis experimentis confirmare; sed potius eas, quæ modo quoconque hactenus innotuerunt, æquabili & perspicuo dicendi genere, nec non justa eaque propria methodo exponere; materiam quoque, ex visceribus hujus scientiæ, sine scrupulosiori selectione arripui, atque *Doctrinam de Aëre brevissimis, pro temporis, aliarumque occupationum ratione, proponere decrevi*. Visum vero est, totam hanc materiam commodissime *quatvor posse comprehendendi sectionibus*, quarum I. de aëris essentia generatim, II. de ejus-

af-

---

(*b*) Lib. VII, Ep. 17. (*c*) De off. L, I, C, 19.

affectionibus, III. de effectibus illius, rationem sui in ejusdem proprietatibus agnoscētibus, & denique IV. de summa ipsius utilitate atque necessitate strictim aget. Te interim L. H. & C. quo decet verborum honore compello, digneris ea, quæ parum digesta & elimata, festinanti calamo, oculis Tuis subjiciuntur, æqua ponderare lance.

### Sectio I:ma.

#### *De aëris essentia generatim.*

##### §. I.

**S**i in variorum, in primis antiquorum, perversis de aëre sententiis recensendis & refutandis, multum temporis & laboris insumerem, vereor ne jure mihi objiceretur: *nugis destruendis, ulterius quam necesse est, insudare, id ipsum quoque nugari est* (*d*). Paucis ergo solum observare liceat, non defuisse, si fides auctoribus habenda, qui aërem corporum forte exemerunt, eumque spiritum, aut prorsus infinitum, aut saltim finitum, esse existimarunt; summa ejus subtilitate forsan decepti. Tribui hæc sententia in primis folet ANAXIMENI MILESI, DIOGENI APOLLINIATI, & STOICIS (*e*), imo quoque

A 3

CI-

(*d*) Ut loquitur illustr. PUFENDORFFIUS in Præf. ad Sp. controv. (*e*) vid. WALCHII Philos. Lex. sub Λυστ.

CICERONI & QUINTILIANO.(f). Sed neque defunt viri, qui eos aut figurate locutos, aut periphrasi aliqua usos, aut verbum græcum (g) latine solum interpretatos esse putant; præsertim cum CICERONI alia quoque tribuatur ab aliis sententia (§. II.). Mirari vero convenit, virum magnum CHRIST. THOMASIUM, nostro ævo, hujusmodi absurdam etiam, an serio, adoptasse sententiam; aërem enim pro spiritu feminini sexus venditat, variisque ridiculis conatur evincere argumentis, eum pro corpore non posse haberi (h). Ut autem brevibus hic statim in limine hunc pueris dignum conficiam errorem, argumentor: Corpora quævis in motu constituta, ab aëre resistentiam patiuntur. Sic quando ipsimet celerius currimus, aut in equo vehimur, debilem aliquem sentimus impulsū, ventis licet non spirantibus, vi cuius, v. g. crines pendentes in contraria aguntur directionem. Si digitum, virgam, flabellum vehementius agitemus, etiam renisum aliquem animadvertisimus. Quævis leviora, ut plumula, chartula &c. ex altiori loco demissa, huc & istuc volitant, nec terram perpendiculariter petunt. Nubes in alto suspenduntur, lidunt examina cœlo, naves vi ventorum magna celeritate propelluntur, mare in fluctus agitatur, ma-

chi-

---

(f) Vid. KRAFFT Prælect. in Phys. P. I. §. 381. & FABRI Thesaur. sub aëre. (g) aëris enim ab æo vel aëui, spiro, flo, dicitur. (h) Vid. Ejus Versuch vom Wesen des Geistes. Consentit cum illo Auctor observ. Hal. T. V. obs. III. §. XVI.

chinæ pneumaticæ circumaguntur &c. Cum autem hujusmodi effectus a spirituali substantia neutram produci queant, multo minus a nihilo excitari, adsit necesse est aliqua materia, unde pendat. Quamvis ergo aér sensuum nostrorum organa sponte & ex se, non afficiat, facit tamen id mediate. Sic visu & auribus saepius illius percipimus effectus. Sub tactus sensum quoque cadit. Dum enim e. g. embolus ex antlia pneumatica extrahitur, denuoque ita intruditur cavitati cylindri, ut nihil aëris inde egrediatur, tandem aér compressus adeo vehementer embolo resistit, ut nullis viribus humanis ad antliæ fundum usque protrudi queat. Quum igitur aér, sub plures, hoc modo, sensus cadat, quin corpus sit, nemo secum habitans dubitet.

## §. II.

Aërem corpus esse diximus (§. I.), quale vero, jam dispiciendum. Quid corpus, physico sensu, homogeneum & heterogeneum sit, notissimum suppono. Præter ea ad differentiam inter *aërem* purum, quem naturalem, simplicem, nativum, primitivum, nudum, virginemque dicere solent; & mixtum, compositum, varijs vaporibus & exhalationibus plenum, h. e. *atmosphærām*, aliquo etiam modo hic respici volo. Quamvis enim, in genere loquendo, unum idemque sint corpus naturale, existunt tamen proprietates, quæ magis aëri, ut omnium permistarum in eo volitantium rerum he- te-

teroclitarum chao, quam quæ eidem ut puro competunt (i). Cum autem de aëre ut puro sermo instituitur, quæri potest, & solet, an sit corpus homogeneum, an vero heterogeneum? Non vacat, nec lubet commemorare, quo modo Peripatetici & Scholastici hoc in puncto ingenia torserint sua. Sufficiat observasse, neque summorum nostri ævi Physicorum solertiam dirimere valuisse, an aëris fluidum sit homogeneum, an vero ex plurimis fluidis elasticis diversissimæ indolis compositus. Hinc vel dubitanter valde hac de re se exprimunt, vel etiam inter se dissident (k). Ut cunque autem hoc sit, in eo tamen plurimi fere conspirant, aërem, saltim maxime probabiliter, esse corpus aliquod primogenium s. elementum creatum, non autem aquam in vapores resolutam, ut voluerunt CICERO, SENECA, VOSSIUS (l) A. LE GRAND (m), O. GUE-RICKIUS (n), ELLERUS (o), & non ita pridem JOH.

- 
- (i) Conf. HOLLMANNI Phys. §. 279. & 311. (k) Vid. si placet MUSSCHENBROEKII introd. ad Phys. §. 590. & 1108. GRAVESANDI instit. Philos. Newton. §. 806. NOLLETI Leçons de Phys. Exper. T. III. p. 178. KRAFFT L. c. §. 395. (l) Allati a MUSSCENBROEK. L. c. §. 1069. Imo ARISTOTELES & PERIPATETICI aërem & aquam facile in se invicem quoque transmutari tradiderunt, vid. BOYLII Nov. Experim. Phys. Mechan. p. 68. & Obs. Hal. I. c. §. XVII. (m) vid. Ejus instit. Philos. P. IV. p. 468. (n) In Experim. Nov. Magdeb. L. II. C. I. & L. IV. C. I. (o) In Act. Acad. Berol. vid. GORDON Elem. Phys. Exper. T. I. §. 832.

JOH. AUGUST. SCHLETTWEIN (*p*). Qui ultimo nominatus, quoniam nuperrime hanc sententiam defendendam suscepit, etiam nonnulla circa ejus rationes palmarias monebimus; quod ab instituto præsentis alienum, nemo forte dixerit. Lubens tamen in antecesum fateor, hanc etiam quæstionem ex earum esse numero, quæ nondum ad liquidum penitus deduci potuere; imo neque adeo magni momenti mihi videri. Qui interim argumenta, qui bus hæc sententia communiter refutari solet, legere & expendere cupit, adeat MUSSCHENBROEKIUM (*q*), KRAFFTIIUM (*r*), vel *Acta Acad. Scient. Holm.* (*s*), neque enim ea hic repetere lubet. Quod ergo ad Dn. SCHLETTWEIN attinet, nemo facile concederit, ut ex alio quodam suo libello supponit, omnium rerum prima stamina, particulas esse igneas & aqueas (*t*). Præterquam enim quod hæc res obscurissimæ & difficillimæ sit disquisitionis, neque sa-

B

nis

(*p*) Vid. Ejus Bemühungen in der Naturkunde, edit. Jenæ 1756. I. Stück, V. Beitracht. Imo, nec BOYLEO hanc sententiam multum displicuisse, constat ex ejus Lib. c. p. 62. & 69. Alii nonnulli, cum GASSENDO, de vita & mor. Epicuri, p. 424. in medio relinquunt, an aëris speciale sit corpus, an vero solummodo vaporum corpusculorumve ex terra & aqua continenter exhalatorum contextura. (*q*) L. c. S. 1069. (*r*) L. c. S. 315. & 395. (*s*) Pro an. 1747. p. 253. & 254. (*t*) De primis rerum elementis, quot quoque omni tempore existere sententiarum diuertia! Nomen alias est, Auctorem, hoc etiam in puncto, Celeb. Dn. ELLERUM sequi.

nis Chemiæ principiis suffulcitur, sed meritis ratione  
ciniis, in experientia genuina minime fundatis, æ-  
que ac cætera, quæ pleno ore, de aëris ortu na-  
turali disputat, quem rotunde satis & confidenter  
a DEO negat esse creatum (u). Quis enim sanus  
inficias it, vapores & exhalationes ex globo nostro  
terraqueo adscendere (x). Neque vaporum elasticorum,  
vel factitii, forte minus recte (y), aëris, exi-  
stentiam negamus, postquam tot experimentis, a  
principiis facile naturæ consultorum BOYLEO (z)  
& HALESIO (a) in primis institutis, hac de re convi-  
eti sumus. Sed quis tamen hinc tuto concludat,  
aërem omnem qui tellurem cingit, nihil aliud esse,  
quam

---

(u) Vid. L. c. p. 103. 109. 113. & conf. VERDRIES Phys. p.  
407. & 409. (x) De modo hujus adscensus, nihil certi  
adfirmare audemus, summis dissentientibus viris. Com-  
muniter secundum principia Hydrostatica hæc res expli-  
cari solet, sed difficultatem parit elevatio eorundem in  
vacuo, ut constat ex experimentis HOMBERGH, vid. Mem.  
de l' Acad. Roy. des scienc. 1660 a 1699. Tom. X. p. 319.  
& Cel. N. WALLERII, vid. Acta Holm. 1740. p. 282. &  
288. seqq. Plura de hac re si scire aves, evolve C. G.  
KRATZENSTEINII Tract. von dem Aufsteigen der Dunste  
und Dämpfe, 1744. Acad. Burdeg. exhibitum. N. WAL-  
LERII Diss. sist. Meteorologiam general. Cap. IV. Acta Holm.  
an. 1748. p. I. seqq. & citatos a Celeb. Dr. LULOF in Eins-  
leit. zu der Mathematischen und Phys. Kenntnis der Erdkugel,  
I. Th. S. 440. (y) Quæ cautio est magni BOERHAAVII in E-  
lem. Chem. T. I. p. 230. edit. 1733. in 4. (z) vid. L. c.  
Experim. 22. 23. 24. (a) vid. Ejus Statique des vege-  
taux, Cap. VI, integr. & in append. p. 331, seqq. nec non

quam vapores, aut aërem naturaliter factitium; præfertim cum aër non solum corporum superficiebus adhæreat, sed & in omnibus fere corporibus lateat incluendo retentus, licet non omnis tum sit elasticus, indeque caloris aut vacui ope prodeat, aut dum hæc in sua resolvuntur elementa, ut & per fermentationem, distillationem, &c. Et posito, omnem aërem esse mere factitium, nonne tum in principio rerum, regio aëris plane fuisse vacua, adeoque modus, quo vapores, ipsum etiam aëra per hypothesin constituentes, ascenderunt, difficilius potest concipi. Concedo quoque aërem nostrum, etiam in altissimis telluris fastigiis montanis, nunquam sine aqua esse, unde & nebula aquosa in interiori parte campanarum vitrearum conspicitur, dum aër ex illis exantlari coepit; sed quis hoc miretur, cum, ut docuit Celeb. HALLEYUS, de superficie maris mediterranei, vi solius caloris aestivi, & quidem uno die aestivo, 5280000000 doliorum aquæ in auras abeant; & de universa tellure, aqua quotannis ad 30 circiter poll. altitudinem

B 2

eva-

Hæmastat. p. 162. seqq. ubi plurima habet hanc rem confirmata. Ita v. g. in St. des veg. p. 167. narrat, se ex calculo vesicæ 230 granorum, cuius volumen erat fere  $\frac{3}{4}$  poll. cub. accepisse aërem elasticum, 516. poll. cub. h.e. 645. vicibus volumen lapilli. Pariter p. 179. memorat, 26. poll. cub. pomorum contusorum, intra tredecim dies, 968. poll. cub. aëris dedisse, h. e. quantitatem 48. vicibus eorum volumini majorem. Leg. quoque sis BOERHAAVII L. c. p. 268 - 286.

evaporet, adeoque 811413143838720000 librarum Angl. semper in aëre hospitetur. Præter ea notum est, vapores iterum coalescere in aquam. Imo contendunt, ipsum vini spiritum, aliosque subtile & fugitivos spiritus, tametsi facile in aërem transiunt eique commisceantur, in vitris tamen chemicis pati metamorphosin, & depositam liquorum formam rursus assumere (*b*). Sed aquam novimus, teste SCHOTTO (*c*), in Musæo KIRCHERIANO, a CLAVIO vitro orbiculari inclusam, atque Hermetis sigillo obsignatam, per quinquaginta annos, limpidam, & uti visum est, absque vel minima sui in aërem conversione, & absque quacunque sui diminutione, permansisse. Sicut & illud ROHAULTI (*d*) experimentum, hic in primis attentionem meretur, quo observavit, aërem non mutari, nec ullam aquæ guttulam ex illo produci, licet eum, per triennium in ampulla vitrea, hermetice sigillata, & dolio aquæ submersa, inclusum tenuerit.

Quid porro ad ea, quæ contra MUSSCHENBROEKII argumenta, suæ sententiae contraria (*e*), obvertit Dn. SCHLETTWEIN (*f*), regeri posse existimem, jam paucis complectar. Scil. primum MUSSCHENBROEK. argumentum hoc modo enervare studet: quamvis aër per illum frigoris gradum, quem ordinarie observamus, easdem non subeat

(*b*) Vid. BOYLII L. c. p. 62. (*c*) In Mech. Hydraul. Pneum. P. 31. class. I. (*d*) Vid. Ejusi Phys. p. 364. (*e*) Vid. not. (*g*). (*f*) L. c. p. 114 - - 124.

eat mutationes cum vaporibus, inde tamen non sequitur, illud per frigus vehementius fieri non posse. Sed resp. testatur ECERHAAVIUS (*g*), aërem, licet frigore, quadraginta gradibus naturali majore, constrictum, suam conservasse fluiditatem. Neque aliter factum esse, inter f. s. mo frigore, mercurium ad 120  $\frac{7}{10}$  grad. infra o in barometris de- trudente, constat ex observationibus in Sibiria ca- ptis (*h*). Ad alios vero acutissimos quoscunque, sed mere possibles, frigoris gradus confugere, est de rebus non existentibus philosophari, quod Physico non licet. Quod ad 2: dum argumentum attinet, licet concedamus, non omnes vapores ignem in suis alimentis extinguere, sed & dari tales, qui eum alunt, quid tamen hinc, ad suam sententiam, de aëre constante ex aqua per ignem in vapores te- nuissimos resoluta, firmandam, lucretur auctor no- ster, non video. Neque MUSSCHENBROEKII alio- rumque argumento hoc modo multum decedit, quem neque omnibus vaporibus & exhalationibus illi affirmaverint ignem extinguiri. Deinde, augetur quidem ignis flatu oris, qui aër est, copiosis & subtilissimis vaporibus refertus, sed vix tamen va- pores illi aquosi subtile hic aliquid conferunt; quin potius credibile, eos statim post accessum ad ignem avolare. Et, ut verbis utar BOYLLI (*i*), mereri

(g) L. c. p. 229.

(b) Vid. GMELINI Flor. Sibir. Præf. p. 73. (i) vid. Ejus suspiciones de latentibus qualit aëris p. 8.

sane videtur admirationem, quidnam sit illud in aëre,  
 quod virtute eum instruens flamnam conservandi, sui  
 tamen consumtione vel depravatione, tam brevi tem-  
 pore ineptum aërem reddit ad flamnam continuandam (k). Dum denique tertio de eo disquiritur,  
 an vapores & exhalationes respirationi & vitæ a-  
 nimalium noceant? non male quidem, inter alia,  
 excipit, omnes hoc non facere, v. g. effluvia plan-  
 tarum odoriferarum balsamica. Sed cum plurimi  
 vapores nihilo minus venenum sint lethiferum ho-  
 minibus & animalibus, aër vero summe necessari-  
 us, neque ex his ab utraque parte allatis, quis fa-  
 cile hanc dirimet controversiam; in primis cum &  
 aër nimis siccus & sitiens, sanitati nequaquam con-  
 veniat, & homo sanus, secundum SANCTORII  
 supputationem, nycthemeri spatio, quinque fere li-  
 bras, aut juxta calculum sive aestimationem JURI-  
 NI, quavis hora, 480000 poll. (l) aëris exspiret, quo-  
 rum vero pars longe maxima aqua. Plura in re  
 obscura non addo. Adscribam solum, venia L. Ce-  
 leb. LULOF verba (m), qui, postquam professus es-  
 set, certo expediri non posse, annon varii generis  
 vaporum mixtura, aërem forte constituere queat  
 verum & sanitati minime inimicum, inquit: Hier  
 ist noch viel zu untersuchen und zu entdecken/  
 wie-  
 wohl ich zweifle ob wir jemals eine vollkommenen  
 Kenn-

---

(k) Conf. omnino NIEUWENTYII Recht. Gebrauch. der  
 Welt-Betracht. in der 22. Betr. (l) Vid. HALE'S  
 Stat. des veget. p. 208. (m) Ex Lib. c. S. 435.

Kenntniß davon erhalten werden / weil wir unsere Versuche nicht in reiner Lüftt anstellen können.

## §. III.

Essentiam corporum nos adhuc latere, res est apud omnes per vulgata, quicquid CARTESIUS, GASSENDUS, WOLFIUS, eorumque sequaces, hic sudaverint. Quare, ut, teste CICERONE, *nervi atque artus sunt sapientiae, non temere credere;* ita mediocriter nequaquam laudandi, qui potius ignorantiam in multis fateri volunt suam, quam fingen-do & conjectando, qui haud paucorum mos est, cognitionis suæ lacunas supplere. Egregie omnino Celeb. KEILLIUS (*n*) inquit: *Ut ingenue fatear ignorantiam, me latent intimæ rerum naturæ & causæ; quicquid mibi de corporibus eorumque actionibus compertum est, illud vel a sensibus hauſt, vel ex aliqua eorum proprietate, mibi per sensus nota, deduxi.* Ex iis, quæ de aëre in genere attulimus (*§. II.*), quemvis puto convictum esse, idem de eo, ac reliquis corporibus valere; adeoque Philosophos etiam adhuc nescire, quid sit aér (*o*). Vix enim reprietur corpus, quod eorum plus deluserit indagandi solertiam, quam hoc, quippe igne quoque cognitu difficultius, teste incomp. BOERHAAVIO (*p*). Quem,

(*n*) In introd. ad veram Phys. p. 16. (*o*) Vid. observ. Hal. T. V. obs. III. ubi ostenditur, quam incompletam philosophi in primis antiqui de aëre habuerint ideam, (*p*) L. c. p. 227.

Quem, eam ob caussam, neque olim pudit fate-  
ri: dico me nescire, quid aer sit (q). Eodem modo  
DU HAMEL (r) ait: naturam aëris magna ex parte  
nos fugere, cum nec sub oculis cadat, nec seorsim, ut  
cetera elementa, spectari possit, aut vasis desillatoriis  
contineri. Neque enim quis existimet, nos essem-  
tiam ejus tenere, dum illum definimus, per corpus  
fluidum, tenue, pellucidum, invisibile, grave, elas-  
ticum, in omni fere alio corpore præsens, & tel-  
lurem ab omni parte cingens (s). Proprietates qui-  
dem ejus nonnullas, easque egregias, mox pleni-  
us excutiendas, sic novimus, adeoque, quem con-  
ceptum cum termino aëris conjungamus, perspicim-  
us; sed interior ejus natura atque essentia, in-  
cognita tamen est, & sine dubio seris etiam posteris  
talis permanebit.

Se-

---

(q) in Elem. Chem. T. I. p. 218. edit. 1724. in 8. (r) In  
Phyf. gener. Tr. I. C. 3. p. 83. (s) An supremae regiones,  
immenaque spatia cœlestia, vacua sint ab omni materia,  
saltim tali de qua nos ideam habemus, an vero, præter  
materiam lucis, aëre purissimo tenuissimoque plena, quæstio  
altioris est indaginis, nec hactenus decisa. De æthere,  
quatenus a materia lucis & aëre essentialiter distinctus,  
omniaque mundi spatia replens, fingitur, dixi mentem, in  
Diff. de Æthere, sub moderam. Reverendiss. atque Eminen-  
tiss. Dn. Episc. & Pro-Cancell. C. F. MENNANDER.

---

## Sectio II:da.

## De affectionibus Aëris.

## §. IV.

**U**t minime inconveniens videtur, originem Scientiæ Nat. ex hebetudine sensuum, connataque nobis sciendi aviditate, repetere<sup>(1)</sup>; ita, quicquid de aëris proprietatibus certo jam novimus, eundem agnosceré ortom, nemo vel rem rite aestimans, vel experimentorum hunc in finem factorum gnarus, facile inficias ibit. Et quum in eo jam simus, ut has affectiones levi delineemus penicillo, statim monemus, nobis quidem nunc non esse propositum, de latentibus & anonymis quibuscunque aëris qualitatibus s. viribus, suspiciones aliquas, probabiles vel minus tales, venditare<sup>(2)</sup>, in primis cum effluvia in aëre hospitantia, stupenda multitudinis & varietatis, præcipuis eum, sine dubio, instruant qualitatibus occultis. De his vero nobis eo minus dicendum, cum specialem atmosphæræ considerationem jam transeamus (§. II.). Deinde, quoniam nemo facile ostendet, an aëris in se sit calidus vel frigidus, humidus vel siccus, sicut multi antiquorum<sup>(3)</sup>, aliquid horum credide-

C

rint,

(1) Conf. KRÜGERS Naturlehre, I. Th. §. I. (2) Leg. antea cit. BOYLII susp. una cum append. de magnetibus cœlest. & aëreis. (3) Vid. Observ. HALI, I. c. §. X. & XIV. seqq. WALCHII Phil. Lex. sub. Lufst.

rint; etjam harum aëris atmosphærici qualitatum, vulgo quoque aliquo modo cognitarum, in præsenti omittimus considerationem pleniorem. Quod enim ad humiditatem & siccitatem ejus attinget, eam ex majori vel minori vaporum, in aëra elevatorum, ibique dispersorum, copia pendere constat; quam & Hygrometris, vario modo constructis, metiri solent(y). Ubi simul tamen observandum, in dijudicanda aëris terram proxime ambientis humiditate & siccitate, non tam ad aquæ elevatae abundantiam, quam potius illius collectiōnem & descensum, respiciendum esse. Experientia quippe docuit, aëre apud nos siccissimo, dum serena diu viguit tempestas, plurimum aquæ in atmosphæra hærere, comprobante id pluvia subsequente copiosa. Calorem autem & frigus aëris quod concernit, variæ omnino ad illa producenda currunt cauſſæ(z); sed quoniam non minus hic, quam circa naturam ignis, caloris atque frigoris in genere, haud pauca occurrunt, nobis adhuc incognita(a), neque his diu immorabimur. Id tamen non videtur esse prætermittendum, calorem hunc, quod ad partem, oriri ex mutuo celerique partium aëris inter se, ut & ad terræ superficiem attritus; quod

ex-

(y) Vid. MUSSCHENER. addit. ad Tent. Flor. P. I. p. 17.

(z) Leg. BOERHAAVII L. c. Cap. de igne, aliisque. (a)

Conf. Celeb. Dn. D. & P. GADOLIN antea cit. Tah, p. 25. seqq. Nob. Dn KLINGENSTIERNÆ annot. ad MUSSCHENER. Phys. cap. XXVI. J. P. EBERHARD'S Gedank. vom Feuer, S. 3. & 8, & Nov. Comment. Petrop. T. I. p. 206. seqq.

exploso globo ferreo solido, de ballista bellica, tempore hiberno, ingeniose ostendit BOERHAAVIUS(*b*). Cum enim globus hic, quolibet minuto sec. 600 pedes per frigidum aëra excurrens, cadit, fervet penitus, quamvis toto itinere, novo, adeoque semper frigido, aëri occurrerit. Neque vero quis existimet, calorem globi hujus ingentem, a flamma pulveris pyri, quo explodebatur, pendere; spatio enim temporis infinite parvo, & vix ~~terram~~ horæ in illa hæsit, in quo tempusculo, flammam illam, totum hunc solidum globum percalefecisse, difficulter sibi aliquis persuadet; sed facile tribuitur attriti summo inter globum tanta rapiditate actum & aërem. Accedit vero in primis, varia radiorum solis in terra, aëre, ibique hospitantibus effluviis, reflexio & refractio(*c*), & inde orta eorum unitio, quæ, ob vim unitam, calorem utique auget. Ne quid loquar de exhalationum calidarum, ex terra semper prodeutium, copia. Ex quibus junctim summis, sufficiens forsan ratio calidi aëris, & ex causis oppositis frigidi, ut & multiplicitis diversitatis in aëre nostro quoad calorem & frigus, nec non diversorum anni temporum, observato simul diverso solis positu, reddi potest. Imo hinc pariter facili intelligitur negotio, cur aër superior inferiori sit frigidior, ut testantur, qui altissimorum montium,

(*b*) L. c. p. 100. (*c*) De hac radiorum in atmosphera reflexione & refractione, ejus caussa, diversitate, usu &c. vid. DAV. GREGORII Astronom. Phys. & Geom. T. I. L. II. S. VIII. p. 294. seqq. & LULOS L. c. §. 465-473. aliquo.

etiam circa æquatorem sitorum, fastigia adscenderunt, eaque perpetuis nivis tegi, glacialeque ibi semper frigus reperiri, observarunt(d).

## §. V.

Jam ad affectiones aëris proprius expendendas nos accingimus, de illis tamen quæ eidem cum omni corpore communes sunt, non multa nobis dicenda. Quum itaque aér corpus sit (§. I.), sequitur, illum ea quoque attributa habere, sine quibus corpus a nobis ne concipi quidem potest. Possident ergo aëris particulæ extensionem aliquam, mentis certe non vero corporis oculis intuendam & comprehendendam. Operam luderet fumosque venderet, qui magnitudinem harum partium anxius rimari conaretur, illasque se certo determinare posse crederet. Penetrat quidem aér per meatus corporum minimos, licet non omnes, & multo magis id adhuc faciunt elementa ejus solitaria, partem aëris vulgaris constituentia; neque tamen hinc aiquid cum certitudine, de determinata eorum magnitudine, cognosci potest. Interim ex eo, quod aqua, quam viribus percussionis comprimere tentarunt, transfudet per poros metallorum(e), aér ve-

ro,

(d) Vid. plurima testimonia & exempla hac de re, in VARENII Geograph. gen. præcipue Lib. I. C. IX. & X. LULOFI L. c. §. 455. & conf. de montium inter Sveciam & Norveg. jugis, SCHEFFERI Lapp. C. XXXV. p. 422, seqq.

(e) Vid. Tent. Acad. del Cimento, L. II, p. 64.

ro, dum ope antliæ, ex vasis v. g. cupreis eva-  
cuatur, non transeat, imo ne quidem per metalla  
~~at~~ poll. tenuia (*f*), concludunt, partes aëris majo-  
res esse quam aquæ. Idem inde efficere conantur,  
quod aër nonnulla etiam alia corpora non pene-  
tret, quod tamen facit aqua (*g*). Et quoniam aër  
ita rarefactus, ut mercurium non ultra  $\frac{3}{4}$  poll. alti-  
tudinem in tubo Torricelliano sustinere valeat, non  
magis penetrat poros buxi, quod tamen facit in  
statu suo naturali constitutus; iterum contendunt  
cum MUSSCHENBR. (*h*), particulas aëris rarefacti,  
majores esse quam condensati; & diametrum parti-  
culæ aëreæ compressæ  $\frac{1}{2}\frac{1}{4}$  poll. vel juxta calcu-  
lum KRÜGERI (*i*)  $\frac{1}{2}\frac{1}{4}$  poll. s. 198. part. scrupuli  
esse. Porro, uti corporam ultima stamina so-  
lida sunt, seu talia, ut omnibus aliis corporibus,  
quaquaversum prementibus ita resistant, ne un-  
quam eundem simul & semel locum occupare  
possint; patet, hanc etiam affectionem, elemen-  
tis aëris tribui debere, & per consequens ea per-  
fecte densa & dura, s. nullis fissuris interrupta es-  
se. Quod nequaquam de mole aliqua partium ha-  
rum constitutivarum, uteunque exigua & insensi-  
bili, valet; quippe quæ multis omnino abundat  
poris. Hinc & HAMBERGERUS (*k*), atque KRÜ-  
GERUS

C 3

---

(*f*) Vid. MUSSCHENBR. *Essai de Phys.* p. 696. (*g*) Vid.  
NOLLETI L. c. T. III. p. 179. & 180 KRAFFT L. c. §.  
382. (*h*) loco nuper cit. (*i*) L. c. §. 317. (*k*) In *ELEM.*  
*Phys.* §. 305.

GERUS(*l*), comparatione aliqua inter aurum & aerem instituta, ostendere conantur, in aere 36141 vicibus plus pororum quam materiae solidae occurrere. Deinde, ut rem in compendium mittamus, aer quoque vi inertiae, quantitati materiae suae proportionali, praeditus est; hanc enim omnis materia, saltim certo cognitae, essentialiter esse proprietatem, experientia condocet amplissima, dum testatur, omne corpus nisum quendam sibi insitum habere, permanendi in statu suo aut quietis aut motus, huncque non posse mutari statum, sine molestia & vi aliqua imprimenda, eundem nisum superante(*m*). Et si modo perpendamus, qua ratione avium volatus sit, manifestissima statim inertiae

---

(*l*) L. c. §. 315. (*m*) Cave, ne vim hanc inertiae, quam insitam minus commode, quoniam plures sunt vires insitae, appellat illustr. NEWTONUS, cum corporum gravitate confundas, quod, inter alios, fecit GORDON in Phys. Exper. T. I. p. 42. seqq. §. 59-67. Hoc enim exemplo notissimo duarum navium, majoris scil. & minoris, quae in flumine solutae relinquuntur, lucide perspicitur falsum esse. Praeterquam enim quod eadem celeritate, ac fluendo pergit aqua fluminis, non statim ferantur, etiam major navis ab initio tardius movetur, quod vero ejusdem majori gravitati non potest tribui, cum haec potius acceleret, quam impedit navem, cum ponatur una cum flumine, adeoque quasi in plano inclinato, ferri. Idem clarissime patet ex motu duorum corporum versus terram perpendiculari, si alterum illorum ponatur majori celeritate moveri, & in tradius motum impingere.

hujus aëris habebimus indicia: Cum enim aries per alas suas aërem deorsum feriunt, aër reagendo eas sursum elevabit; si versus orientem aërem pellant, reælio aëris ipsas in occidentem tendere cogit<sup>(n)</sup>. Jure igitur & nos diximus (§. I.), aërem resistentiam exferere; & hanc ejus resistentiam, illustr. NEWTONUM<sup>(o)</sup>, per oscillationes pendulorum investigasse, quantitatatemque illius determinasse constat. Sicut vero fluidi cuiusvis resistentia duplicem agnoscit caussam, quarum una eaque præcipua materia fluidæ inertiae, altera autem particularum tenacitati, si nim. fluidum non fuerit perfectum, est adscribenda<sup>(p)</sup>; ita, institutis accurate experimentis, invenit atque demonstravit idem immortali gloria dignus NEWTONUS, maximam aëris resistentiæ partem a sola inertia massæ, minimam vero & ferre contemnendam a partium attritu pendere. Neque tamen illud reticendum, hanc in aëre resistentiæ potentiam, per ejus elasticitatem aliquantulum augeri; dum enim corpus in illo movetur, etiam, vi elateris, fluidum hoc, a parte corporis progredien-

(n) Verba sunt KEILLII L. c. p. 120. (o) In Princip. Philos. Nat. Math. L. II. (p) Existimarent MUSSCHENBR. L. c. §. 85. GRAVESAND. Elem. Phyz. Math. L. III. C. XI. SIGORGNE inst. Newt. ou introd. à la Philos. C. I. p. 3. mutuam particularum fluidi attractionem, etiam ad hanc resistentiam aliquid conferre; sed monuit jam Nob. Dn. KLINGENSTIerna, in annot. ad MUSSCHENB. p. 571. huic sententiæ debitum deesse robur; iocem posita fecit Mag. SÖDERBERG in Disp. De resist. fluidi, Ups. 1752.

dientis antica, comprimitur, siveque ratione densitatis auctæ, majori inertia pollet. Denique verbo observandum, aërem, propter hanc eandem resistentiam, corpora celerrime mota magis retardare, quam a gravitate interea temporis accelerari possunt; illaque, dum ex alto per aërem delabuntur, nunquam vel rapidissima, vel ea velocitate descendere, qua cum in vacuo feruntur; adeoque Creatorem sapientissimum hac ratione benignissime propsectisse, ne per pluviam aut grandinem, partes vegetabilium tenerrimæ lacerentur (q). De aliis corporum attributis universalissimis, aëri ut corpori competentibus, non habeo quod dicam.

## §. VI.

Hactenus aërem ut plurimum generalius consideravimus, nunc ex instituto magis ad certam corporum classem eum redigemus, qualitatesque ejus ponderabimus. Partes aëris impressioni aut vi cuiuscunq; minimæ cedere, & cedendo facilissime interf se moveri, quilibet, aut semet ipsum, vel manum tantum, aut alia corpora, per aërem movendo, experitur. Cum vero corpus hujus indolis fluidum appelletur, satis adparet, aërem fluidum esse, & quidem *tenue*, quum maxima omnino ejus sit fluiditas. Quem ad modum autem circa naturam fluidorum in genere non pauca adhuc latent, ita,  
quod

---

(q) Vid. MUSSCHENBR. addit. ad Tent. Flor. P. II. p. 118.  
De his vero aëris effectibus plura in seqq.

quod ad aëris fluiditatem in specie attinet, idem fatenduni. Particulis fluidorum figuram plerique (*r*) tribuunt sphæricam; sed hac de re nihil certi constare, graviter inter alios monuit Nob. Dn. KLIN-GENSTIERNA (*s*). Eodem modo ingenue fate-  
mur, causam fluiditatis nos latere, licet alii eam in figura & positura partium ponant, alii in mo-  
tu partium intestino perpetuoque quærant (*t*),  
alii ad calorem provocent, alii haud pauci æthe-  
rem in subSIDium advocent, alii denique, & viri  
quidem magni, inde oriri credant, quod partes non  
arcte inter se cohærent, & quod motus non impedia-  
tur in partium superficiebus (*u*). Sed ut de aëre uni-  
ce loquamur, notum quidem est, CARTESIUM (*x*)  
particulas ejus instar mollium plumarum, BOY-  
LEUM (*y*) ut tenues & flexiles pilos, vel filamen-  
ta lanæ, alios instar spirarum sphærice contorta-  
rum (*z*) concepisse, plurimos rotundas facere: quia

D

ex

(*r*) Vid. MUSSCHENBR. L. c. §. 583. & 585. KRAFFT L. c.  
§. 300. (*s*) In annot. ad MUSSCHENBR. p. 565. & 593.  
seq. (*t*) KEILLIUS L. c. p. 16. inquit: *Cartesiani dicunt*  
*fluidum esse, cuius partes in continuo motu versantur; verum*  
*nec sensu, nec experientia, nec ratione proditum est, talem*  
*esse fluidi naturam.* Conf. MUSSCH. L. c. §. 588. KRAFFT  
L. c. §. 301. (*u*) Verba sunt GRAVESANDI in Instit. Phi-  
los. Newt. §. 524. (*x*) In princip. P. IV. §. 45. seq.  
(*y*) In Nov. Exp. Phys. Mech. & Historia fluiditatis &  
firmit. (*z*) Hujus fere indolis figuram, cum GVILLEMINO,  
aëris particulis quoque tribuit Celeb. EULERUS, existimans  
sic stupendam earum vim expansivam, aliquanto melius con-

ex aliis figuris tenacitatem aliquam oriri putant, quæ pendulorum oscillationi moram poneret, quam tamen in aëre non fuisse observatam dicunt; verum quæ multi ita prolixè de figura particularum aërearum proferunt, & de illarum deinde tenuitate, lubricitate, exigua vel nulla attractione, vel ab æthere interfluente jugi agitatione, citra experientiam, subtiliter disputant, indeque rationem fluidæ ejus naturæ aliarumque proprietatum arcent, ea nos illis, qui hinc utilitatem forte aliquam sibi promittunt, dirimenda relinquimus. Satis nobis est breviter ostendisse, quod aër fluidum sit; unde simul sequitur, illum omnes fluidorum cæterorum proprietates generales habere. Neque tamen illud omittendum, fluiditatem aëri ita propriam esse, ut ea nunquam frigore intensissimo (§. II.), aut vi quacunque comprimente potuerit privari; licet, ut ex plurimis HALESI (a) in primis constat experimentis, in certis v.g. operationibus chemicis, distillationibus scil. fermentationibus, &c., cum aliis corporibus unijatur, elasticitatem & fluiditatem amittat,

cipi posse, vid. LULOF L. c. §. 452. Sed sint cujuscunque figuræ, interim hoc certum est, fabricam illarum, propter summum quod capere possunt voluminis decrementum & incrementum, & cujus maximum gradum nemo adhuc certo determinare potuit, admirationem haud minimam mereri. Imo, infinitam Creatoris sapientiam & potentiam, hanc etiam ob rem, in quacunque aëris particula emicare. Leg. omnino MUSSCHENER, addit. ad Tent. Flor. P. I. p. 38. (a) Vid. Ejus Stat. des veg. præcipue Chap. VI.

tat, atque sic solidescat. Et sicut omnia ferē corpora, solida & fluida, calore expanduntur s. dilatantur, frigore autem condensantur (*t*); ita nec aërem hinc excipi, docet experientia. Dum enim e. c. aëris aliqua portio in vesicam firmiter obstrictam includitur, prunisque ardentibus admovetur, statim hanc distendi animadvertisimus, & ni cito ab igne removatur, aëris in vesica contentus, vique ignis rarafactus, eam disrumpit; contra ea, dum a prunis vesicam removemus, paulatim illam flaccidam iterum evadere, adeoque aërem condensari, observamus. Idem in Thermometris Dreibbelianis facile experiri licet. Si enim globo horum instrumentorum superiori, aëre repleto, corpus aliquod calidum vel frigidum admovemus, statim liquor in parte inferiori contentus, notabiliter vel descendit vel adscendit, prout aëris in superiori parte vel calore expansus, vel frigore constrictus fuerit, adeoque liquorem magis vel minus presserit. Sed de hac aëris condensabilitate & expansibilitate, ut loquuntur, plura adferemus, cum de elatere ejus erit agendum. Quod autem aëris porro in omni ferē corpore adsit, id inter effectus fluiditatis & pressionis ejus referendum est; sicut ex fluiditate ipsius quoque, una cum elasticitate & gravitate, pendet, quod telluri undiquaque circumfundatur (*c*).

D 2

De

(*b*) Vid. plurima experim. hac de re, in Tent. Acad. del Cimento, P. II. p. 3. seqq. in primis in addit. MUSSCHENB. p. 12-58. BOERHAAVII L. c. Cap. de igne. (*c*) Conf. WOLFII Aërometr. S. 44.

De pelluciditate vero maxima, quam etiam vi hujus suæ fluiditatis possidet, utcunque comprimatur, quid opus multis dicere. Hoc ergo solum nunc addo, de eo leviorum inter Physicos existere dissensum, an aér visibilis sit, vel invisibilis, qui simul quoque colorem ejus tangit. Illud certum quidem est, particulas aëris solitarias, propter summam subtilitatem, videri non posse; imo nunquam unam illarum vel perfectissimis Microscopiorum visibilem reddi potuisse. Unde bene quoque HIPPOCRATES(*d*) inquit: *Aér oculis minime est conspicuus, & tantum consideratione cognoscitur, & effectu fit manifestus.* An vero magna aëris copia visu percipi queat, h. e. radios solis certi coloris in oculos nostros reflectat, de eo non convenit. Dissident scil. an cœli sereni color cœruleus aëri sit proprius, an vero eum solum mentiatur. Qui prius statuunt, in primis urgere solent vivacitatem coloris hujus, dum sudum, montiumque elevatorum & remotorum cacumina intuemur, &c. (*e*). Qui autem posterius tacentur, contendunt, radios solis ab aëre reflexos, & que ac alias radios, ope prismatis vitrei dividendi posse, adeoque eum non cœruleos solum, sed & alias coloris, radios repercutere; quippe alias quoque omnia objecta, quæ per hos radios visibilia redduntur, cœrulea apparerent; cœlum vero cœruleum conspici putant, propter per-

(*a*) Lib. de flat. (*e*) Vid. MARIOTTI *Essai de la nat. de l'air*, p. 181, & LULOF, L. c. S. 437,

permixtionem nigredinis spatiorum cœlestium inanum cum luce alba, quam aér, sine refractione, reflecteret, &c. (f).

## §. VII.

Pervenio ad affectiones aëris præcipuas, seculo superiori plene detectas, gravitatem scil. & elasticitatem, quarum effectus per universum orbem longe maximi sunt, & ideo dignissima etiam exstitere objecta, in quibus rimandis plurimorum, multis parasangis supra laudes nostras positorum, virorum industria & perspicacia se exercebat. Ut vero ordinem observemus debitum, primo has aëri competere evincemus, & de illarum indole differemus, postea effectus earum scrutaturi. Quod ergo ad pondus aëris, ipsiusque caussam *gravitatem ejus*, attinet, quam ARISTOTELI jam aliquo modo notam fuisse constat, licet effectus illius ignoraverit; potest illa omnino dupli modo considerari, scil. vel absolute, vel habito respectu ad alia corpora. *Absolutam aëris gravitatem* primus extra dubium posuit Celeber Mathematicus Florentinus GALILEUS GALILÆI. Cum enim hortulanus quidam Florentiæ, circa initium seculi proxime præterlapsi, aquam, in antlia tractoria, ultra XVIII. ulnas, suetu attolli non posse deprehenderet, hocque phæ-

D 3

no-

(f) Vid. MUSSCHENBROEK. L. c. §. 1123. GRAVESANDI Element. Phys. Math. §. 3766. seq, & FUNCIIUS de coloribus cœli, Sect. 4. S. 7.

nomenon præter spem accidens miraretur, eventum GALILEO aperuit, & caussam ab eo fiscitabatur. Hic, licet initio & ipse eandem ignoraret, rem tamen rite perpendens, rectissime conclusit, fundamentum ejus in aëris atmosphærici gravitate, adeoque pressione, querundum esse. Experimentum autem quo Vir hic Celeber. de aëris gravitate in primis convincebatur, hoc erat; millies postea, exigua cum immutatione, repetitum. In vas nim. orbiculare vitreum, capax, aërem syringe intrusit, globumque hunc ad bilancem jam examinavit; postea, aperto epistomio, ut aër compressus se dilatare posset, eadem libra expertus est, ponderi globi pristino aliquid decessisse, adeoque aërem inclusum illud auxisse, & per consequens gravitatem instructum esse (g). Pariter pondus aëris optime detegitur, si ex globo vitro vel metallico aër operantiae evacuetur, deinde autem probe clausus exacte libretur, præsertim in aqua vi ponderis appeti demersus, ut in bilance attritus minuatur; constabit enim sic globum reddi ponderosiorum, dum aër iterum admittitur. Et si globi capacitas prius innotuerit, vel nunc investigetur, non solum pondus aëris in dato hoc volumine cognoscitur, sed & facile unius pedis cub. aërei pondus hac ratione invenitur (h). Ita sunt qui unum poll. cub. aëris  $\frac{2}{7}$  gr. alii  $\frac{100}{283}$  gr. aut fere  $\frac{1}{3}$  gr. esse dicunt; pe.

---

(g) Vid. præter plurim, alios, *Aet. Holm.* 1749. p. 82. & 83.

(h) Vid. WOLFI Aërom. S. 56.

pedem vero cub. aëris vel  $610 \frac{1}{2} \frac{1}{2}$  gr. vel cum WOLFIO circiter 585 gr. esse statuunt. Provenit autem hujusmodi varietas partim inde, quia aëris forte non semper æquali copia fuit vel e sphæra extractus, vel in eam intrusus; partim quoque inde, quod pondus aëris non semper idem existat, sed ratione caloris, frigoris, effluviorum, & in primis ventorum, vicissitudinibus assiduis succumbat. Plurima præter hæc sunt, quæ de aëris gravitate testantur, ut e.g. nubium exhalationumque in aëre suspensio, &c. (i); sed inter ea in primis referri solet adscensus mercurii in tubo Torricelliano, ad altitudinem saepissime 29. circiter poll. aquæ autem ad 33. ped. scil. circa superficiem telluris; quæ tamen hydrarugyi altitudo semper eadem non est, sed aliquando etiam 26. 27. 28. imo  $30 \frac{1}{2}$  poll. æqualis deprehensa fuit (k); quod iterum ex aëris diversa gravitate & elasticitate, cuius effectus similes sunt effectibus gravitatis (l), nec non ex massæ mercurii per calorem facta expansione, per frigus vero condensatione (m), originem dicit. Sed de hujusmo-

di

(i) Vid. WOLFII Phys. Exper. T. I. C. 5. §. 86. aliisque Scriptores Phys. Experimentalis. (k) BOERHAAV. L. C. p. 233. totius ponderis atmosphærae maximi & minimi differentiam in Europa, intra decimam fere partem totius terminari, ait. (l) Vid. BOERHAAV. L. c. p. 245. KRAFFT L. c. §. 413. HOLLMANN. L. c. §. 287. seqq. (m) Constat hoc ex experimento AMONTONII jam 1703 instituto, vid. MUSSCHENBR. addit. ad Tent. Flor. P. I. p. 26. Act. Holm. 1749. p. 90. & plenius adhuc ex Celeber. STRÖMERI, vid. Act. Holm. 1745. p. 161. seqq.

di aëris pressionibus, in diversis distantiis supra & infra superficiem telluris variantibus, gravitatis exteriorisque ipsius indiciis certissimis, plenius agemus, cum ad effectus illius explicandos fuerit per ventum. Ex allatis interim satis jam efficitur, aërem gravem esse; quod & S:a S:a Job. XXVIII: 25. adstruit, virique summi, TORRICELLIUS, PASCHALIUS, GVERICKIUS, BOYLEUS, MARIOTTUS, MERENNUS, VOLDERUS, SENGUERDIUS, BORELLUS, BERNOULLIUS, innumeri alii, nube experimentorum, evictum dedere, materiamque ita volumini hac de re conscribendo suppeditarunt.

Quum vero minima nequaquam sit suspicandi ansa, an non pondus hoc aëris, in totum ab effluviis in eo natantibus pendeat, quod & valde probabile, inter alios, visum est BOERHAAVIO (*n*); hinc necessitas Physicis imposita fuit, modum aliquem excogitandi, quo ostendere possent, aëri, quantum fieri potest, a vaporibus & exhalationibus libero, etiam gravitatem competere, quamvis non tantam, ac posset aqueis aliisque heterogeneis particulis plenus. Duplii autem via hoc in primis evincere conati sunt. *Celeb.* MUSSCHENBR. aërem atmosphäricum, per cineres clavellatos, in recipiens evacuatum transmisit, ut exploraret, an idem

(*n*) Vid. L. c. p. 249 & 267. C. A. CRUSTIUS in *Auseit. über Naturl. Begebenheiten ordentlich und vorsichtig nachzudenken*, S. 238. ob eandem rationem, gravitatem aëris recentius in dubium vocavit.

idem pondus, quod modo ante habuerat, retineret. Hoe facto & repetito periculo, nullum quidem in gravitate observavit discrimen, cœlo sicco, sereno, æstivo; sed cum hieme, quando aér torperet frigore, & vere, cum humido abundaret, examen repeteret, aërem per dictos cineres transmissum, deprehendit aliquando dimidiā, interdum tertiam, quartam, minoremque gravitatis partem amisisse, prout copiosiori humido scatebat. Unde satis adparet, eum, etiam a vaporibus liberum, gravem esse<sup>(o)</sup>. Plurimi alii idem fecerunt experimentum, & loco cinerum clavell. calidorum siccorumque sal etiam tartari adhibuerunt. Alio autem modo idem egregie evicit NOLLETUS (*p*), cuius experimentum propriis auctoris verbis proponere lubet.

“Je suspens, inquit, un ballon de verre plein d’air à la balance, & je le tiens en équilibre dans l’eau avec un poids connu: ensuite, sans le changer de situation, j’applique au robinet un siphon qui répond à la machine pneumatique pour y faire le vuide: à mesure que je rarefie l’air, je vois tomber au fond du ballon les vapeurs dont il est chargé, & qui ne sont point de nature à se rafraîchir comme lui & à le suivre: de cette manière je fais rester dans le ballon (au moins pour la plus grande partie) ces corps étrangers à qui l’on pourroit soupçonner qu’il doit tout son poids, & je suis comme certain que ce qui sort du vais-

E ,seau

(o) Vid. MUSSCHENBR. Orat. de meth. instit. exper. phys. p. 28.

(p) L. c. T. III. p. 191, & 192.

„seau est de l'air pur: cependant, lorsque j'ai fermé „le robinet, & que j'essaye de remettre le ballon „vuide en équilibre avec le premier poids, je le „trouve, à peu de choses près, d'autant plus léger, „qu'il étoit plus pesant dans la première expérien- „ce: d'où il suit incontestablement que l' air, par „lui-même, & indépendamment des vapeurs & „des exhalaisons avec lesquelles il se trouve mêlé, „augmente le poids d'un vaisseau qu'il remplit.“  
 Qui præter ea cum RÜDIGERO (q) aërem ideo gra-  
 vitatem non habere putant, quod fluida in fluidis  
 non gravitare credant, quæ & mens antiquorum  
 erat, næ illi vehementer errant. Quod enim in  
 fluido gravitas ejusdem fluidi non sit sensibilis, id  
 ex eo oritur, quod partes inferiores superiores su-  
 stineant, hasque descensu arceant (r).

Quod jam ad *gravitatem aëris specificam*, seu  
 pondus, in relatione ad alia corpora, ejusdem cum  
 eo voluminis, attinet, illam quidem respectu aquæ  
 in primis explorare conati sunt Philosophi, sed di-  
 versam admodum observarunt proportionem (s).  
 Ita

---

(q) In Phys. Div. Lib. I. C. V. §. 4. p. 62. seq. (r) Conf.  
 KRÜGERI L. c. § 185. (s) Caussam hujus diversitatis  
 jam adduximus, dum pondus aëris absolutum, mutationi-  
 bus continuis obnoxium esse diximus; quod & de aqua  
 valet, quippe quæ neque semper eodem gradu pura, ca-  
 lida vel frigida, adeoque sub eodem volumine ejusdem  
 ponderis, est; ut taceam diversam quam Philosophi, in  
 hac gravitate specif. investiganda, adhibuerunt methodum,  
 etiam aliquid ad hanc *discrepantium contulisse.* Hinc

Ita GALILÆUS eam esse statuit ut 1 ad 400. *Philosophi Florentini* ut 1 ad 1179. RICCIOLUS ut 1 ad 10000 (t). MERSENNUS ut 1 ad 1300. HAUKBEGIUS ut 1 ad 885. BOYLEUS, HOMBERGIUS, HALLEYUS, MUSSCHENBROEKIUS, diversis temporibus diversam deprehenderunt (u). Dum tamen ad medium aëris pondus totiusque anni calorem attendunt, etjam proportionem hanc, cum NEWTONO & BOERHAAVIO, ut 1 ad 850. vel cum WOLFIO ut 1. ad 846. plerique jam assumunt; idque eo majori jure, cum & plurimi illam ut 1 ad 700. vel 800. vel paulo minorem majoremve deprehenderint. Unde patet, aquam tot vicibus aëre quoque densiorem esse. Et quoniam volumina sunt in ratione reciproca gravitatum specif. sequitur, etjam aërem 850. ped. cub. cum aqua 1. E 2 ped.

---

HAMBERGERUS, L. c. §. 305. inquit: *Magis mirandum foret, si duo Physici eandem rationem gravitatum specificarum aëris & aquæ invenirent, quam si diversam exhibent.* Facit vero ad majorem certitudinem obtinendam, dum diverso tempore, aut diversis locis, hac de re experimenta instituuntur, instrumenta ad manus habere, quibus in aëris & aquæ, calorem, frigus, pondus, puritatemque inquirimus. Conf. MUSSCHENBR. Orat. cit. p. 18. (t) Ejus aërem ope vesicæ ponderandi modum, refutavit JAC. BERNOULLIUS, vid. Act. Erud. Lips. 1685. p. 436. seq. Conf. quoque Boylei Nov. Exp. Ph. Mech. p. III. & 112. (u) Vid. Tent. Flor. P. 11. p. 126. ubi MUSSCHENBR. plures aquæ & aëris gravitatis specif. proportiones collegit, aliumque hoc problema solvendi modum indicavit, quam quo usi sunt Academicci Cimentini.

ped. cub. æquilibrium servare. Prodit vero quam proxime ratio gravitatis specificæ aëris & aquæ, si in eadem sphæra utrumque, modo prædicto, ponderatur, pondera hæc inter se comparantur, sphæræque pondus detrahitur. Duxi quam proxime, quia semper aliquid aëris adest, dum in pondus aquæ inquiritur. Deinde, facile quoque hoc modo pondus dati cujusdam voluminis aëris, e. g. pedis cub. dètegitur, si modo pondus aquæ ejusdem quantitatis rite simul perspectum sit. Pone scil. pondus aquæ unius ped. cub. esse æquale circiter 63. libr. (1. libr. = 16. unc.) & gravitatem specif. aëris ad aquæ ut 1 ad 850. erit omnino pondus aëris 1. ped. cub. =  $\frac{1008}{850}$  unc. s. =  $\frac{179}{142}$  unc. Qualis porro aëris sit gravit. specif. ad aliorum corporum, non opus est multis ostendere. Postquam enim aëris ad aquæ constat gravit. sp. & aquæ plurimarumque aliarum materia rum jam quoque perspectam habemus (x), sine difficultate hinc pondus aëris in relatione ad alia corpora, qui vult, eruere potest. Ita v. g. KEIL LIUS (y) quantitatem materiæ in auro, vicies mil lies circiter ait superare materiam aëris; unde patet, hunc toties illo leviorem esse, gravitates enim corporum specificæ, densitatibus iporum proportionales sunt. Alii (z) tamen hanc proportionem ut 1 ad 18071. esse dicunt, quia aliam aëris & aquæ

(x) Vid. MUSSCHENBR. L. c. §. 703. vel GORDON L. c. §. 702. (1) L. c. p. 59. (z) HAMBERG, L. c. §. 305, KRÜG, L. c. §. 315.

aquaæ statuunt gravitatem specif. Pondus vero aëris ad hydrargyrum fere ut 1 ad 11313. se habere WOLF1US afferit, BOYLEUS autem ut 1 ad 14000. Et quum diversa sit aëris densitas, per consequens quoque gravitas, in diversis supra & infra terræ superficiem distantias (a), hinc BOER-HAAVIUS (b) contendit, aërem nostrum, ad profunditatem 409640. hexapedarum sub superficie terræ, auro pondere parem fieri. Ad quam vero altitudinem supra tellurem aër ille se extendet, qui perpendiculariter versus illam tendit, non difficile solum, sed & impossibile exakte determinatu, mihi videtur. Esto enim gravitatem aëris,

E 3

æque

(a) Constat hoc ex illorum observationibus, qui in fodinas profundas descendendo, montesque altissimos adscendendo, ad gradum descensionis & adscensionis mercurii in tubo Torricelliano attenderunt, vid. *Aet. Holm.* 1741. p. 109. seqq. 1743. p. 113. seqq. 1749. p. 85. seqq. NOLLET L. c. T. III. p. 341. seqq. in primis vero MUSSCHENB. addit. ad Tent. Florent. P. I. p. 51. seqq. Hinc SENECA Quæst. Nat. L. IV. C. 10. jam dixit: *aer quo propior est terris hoc crassior: quemadmodum in aqua & in omni humore fex ima est, ita in aere spississima queque diffidunt.* Pendet autem hæc aëris inferioris major densitas, ex aëris in hunc incumbentis pondere & pressione, ut & ex illis caussis, quas gravitatem ejus mutare antea jam diximus, nec non ex vi centrifuga particularum aërealium gravitati contraria, quæ ratione distantiarum ab axi terræ crescit, & sub æquatore in primis gravitatem aëris minuit. (b) L. c. Cap. de igne.

æque ac aliorum corporum, in eadem ratione decrescere, ac quadrata distantiarum a centro telluris augentur, ut primus detexit illustr. NEWTONUS. Esto quoque atmosphæræ altitudinem terminari, ubi gravitas & elasticitas partium aërearum sunt in æquilibrio. Vix tamen unquam accurate aut hic determinabitur locus (*c*), aut ubi omnis aëris cessat gravitas. Et pone limites atmosphæræ definiri posse, neque tamen sic omnis tollitur difficultas, cum quæri adhuc possit: an nullus magis supra hunc terminum sit aëris? vel si reperitur, an omni careat gravitate? vel aëris tendentiam aliquam versus terram adhuc habeat, licet ab elasticitate & vi centrifuga partium sustentatam, & quoisque? vel an versus alia corpora cœlestia jam gravitet. Denique verbo observo, aërem qui totum terrarum orbem ambit, secundum calculum BERNOULLII (*d*), 660000000000000000 centenarios æquare. In re tamen

---

(*c*) Non heri nec nudius terius de altitudine atmosphæræ disputare coeperunt Philosophi, duplice via, scil. vel ex mercurii in tubo Torricelliano diversa altitudine in locis supra terræ superficiem elevatis, vel etiam ex crepusculis, illam definire tentarunt, vid. *Ast. Holm.* 1749. p. 88. 1752. p. 170. *NOLLET* L. c. T. III. p. 353. seqq. & p. 357. seqq. *LULOF* L. c. §. 452 & 453. *KELLII* introd. ad ver. *Astronom.* p. 386. seq. aliisque; sed fateri tamen adhuc coguntur, hunc nodum hactenus non potuisse solvi, & exiguum quoque admodum affulgere spem, ut aliquando rite solvatur. (*d*) Vid. *Ejus Method. ratiocin. Th.* II. & *Mem. de l' Acad. Roy. des Scienc.* 1703. p. 101.

tamen magis curiosa & laboriosa quam utili, multiplicique incertitudini subjecta, quid mirum, alios etiam aliter calculos ponere.

### §. VIII.

Quæ jam ordine de affectionibus aëris, in primis ejus *elasticitate*, essent dicenda, sed nunc, ob summatam qua premor temporis angustiam, omittuntur, ea, alia occasione, si DEO visum fuerit, pertexam.

*Sit interim summa soli DEO laus &  
gloria Trino!*



## Domino RESPONDENTI.

**V**arias esse res, quæ delectationem afferre solent mortali-  
bus, nemo est qui ignorat; quæ ut veræ cujusque  
felicitati propiores sunt, eo maiorem etiam & magis con-  
stantem ipsū producunt voluptatem. Quanto autem quisque  
se ipsum prosequitur amore, tantum etjam gaudium ex ami-  
ci commodis fatisque prosperis percipere tenetur; natura  
quippe & jura amicitiæ hoc exigunt. Facile sic, Amice Di-  
lectissime, perspicere potes, quānam sit laetitia mea præsen-  
tis ratio, quæ caussa. Quod enim possum optavi, id  
coram intueri mihi jam licet. Video namque Te in Apol-  
linis castris strenue & fortiter pugnantem, nec unum inde  
sed plures deportantem triumphos. Eruditionem Tuam  
præclaram & egregiam animadvertunt omnes & agnoscunt.  
Virtus quoque moresque Tui candidi singulorum adscidunt  
oculos, quibus modo Tua innotuerit facies. Hinc justas  
dignasque laudes nemo Tibi denegabit. Quam igitur &  
mihi exoptatissima jam præbeatur occasio, publice testandi,  
quanti Te faciam, temperare mihi non potui, quo minus  
gratulationem qualemcumque Dissertationi huic solidissimæ,  
quam Te matene defensum fatis mihi persuadeo, affige-  
rem. Quod & tanto feci lubentius, cum pluribus modis  
**Tibi**, Amice Ssavissime, sum obstrictus. Tot enim tanta-  
que a Te expertus sum amicitiæ documenta, ut, an amicus  
amico plura vel majora præstiterit, dubitari omnino possit.

Essem quidem hac in re prolixior, ne vero quis verbo-  
rum lenocinia ambigua esse putet amicitiæ testimonia, potius  
rogo, concedas mihi, Amice Honoratissime, in pectore & men-  
te talem Te existimare, qualem sèpius cognovi, inveni, pro-  
bavi. De cætero, ut voluntati Tuæ semper obsecundet for-  
tuna, omniaque ex voto Tibi cedant, sincere opto & voveo !!

idque  
**Animo Lætanti.**